Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA,

DE

JURE ERANI,

Quam

Consensu Magnifici ac Consultissimi JCtorum Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. GEORGIO MELCHIORE THILONE,

auff Kemmen und Kolckwitz &c.

JCTO, CURIÆ ELECTORALIS ADVOCATO ORDINARIO, & REIPUBLICÆ WITTEBERGENSIS CONSILIARIO &c.

PUBLICO EXAMINI EXPONIT

ALBERTUS FRIDERICUS à Syborg/ Magdeburgensis.

In Auditorio JCtorum

ad diem Augusti.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

ANNO cIↄ. Iↄc. LXIX.

AD CLARISSIMUM
ALBERTUM FRIDERICUM SYBORGIUM, MAGDEBURGENSEM, SUUM,
Cum
DE JURE ΤΟΥ ΕΡΑΝΟΥ, seu Collectæ alicujus, disputaret:

DUm benivolè Epistolium gratulatorium poscis, Tibi, Patris de Republicâ Magdeburgensium, & de bonis omnibus optimè meriti, optimo Filio, Amico Candido, deesse haut possum. Quæ autem scribendi materies, nisi ut Tui laudes ebuccinem? hanc enim SERENISSIMI NOSTRI ELECTORIS Academiam, ubi omnium Disciplinarum & Artium purus cultus, quàm egregiè ornas; pietas Tui erga DEUM, reverentia erga Præceptores, ingenuus animus & exporrecta frons erga pares, & infucati mores, nemini non laudantur, atq; cuivis bono te commendabilem reddunt: ne dicam, quàm seriò lites ac digladiationes odio habeas, illosq; qui illis student, vites, quantum pote; nec unquam autor & svasor sis, ut, quibuscum tibi conversatio est, RESCRIPTA ELECTORALIA, & Leges nostræ, formidini non sint. Quàmprimùm in mei amicitiam te insinuaras, placuisti insigniter, atq; exinde factum, ut reapse tibi favere constituerem animo; cumq; clam palamq; in vitam, moresque tuos ampliùs introspicerem, te tui similem inveni, id est, pium, doli expertem, ac literis perpolitum multis: nec, quâ tui eruditionem, commendatione eges, cum vel totam Academiam hanc testem sat locupletem habeas; & nunc, inauditurâ Astræâ, ingenii vires publicè periclitabere, & quidem, quo ipso JCTORUM Ordini te commendatissimum facis, in JURE ROMANO, quo nunc, ut RATIONE (quâ laude nulla major esse potest) gentes moratiores utuntur: Qui enim, *verba sunt DUARENI ad Tit. π. de Judiciis, Rubr. de Variis Judiciorum Præceptis fol. 159.* putant, his *Juris libris nihil aliud* contineri, quàm Leges Imperatorum, falluntur: continetur enim Ars ipsa Boni & Æqui, ac reperiuntur multa præcepta ad Æquitatem, ac Bonum & Æqvum, pertinentia, ad Legum Interpretationem, de quibus nihil à Principibus traditur, nullæ Leges ab Imperatoribus præscribi solent: *& quæ doctissima seqvuntur, quæ quæso tibi familiarissima red-*

ma reddas, scis enim, esse quosdam, qui aliter atq; aliter de Jure Romano sentiant, ex quo tamen, tanquam ex equo Trojano casus Æquitatis longissimo ordine prodire solent, & possunt: capias velim exemplum ex Titulo de Lege Rhodiâ, quæ & antiquissimo tempore, & nunc, ubi Rerum Domini vehementius maribus imperant, controversiarum maritimarum æquissima fuit & est judicatrix, utpote cum Leges Rhodiorum, *juxta Docimium quodam Libro de Jure, citatum Frebero Tom. II. Juris Græco-Romani fol. 278.* sint navalibus Legibus aliis antiquiores, & majori quidem ex parte bonæ sint, in ceteris reprehensione careant: *Potissimè autem lucem Æquitatis, seu uti nunc loqvuntur, Juris Moralis spectare habes in* l. 2. D. de L. Rhodiâ. *Ubi,* æquissimum enim est, *dicitur,* commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt, ut merces suas salvas haberent. *Hanc Æquitatem, dum Joh. Loccenius Tract. de Jure Maritimo l. II. c. 8. n. 2. Jure Scripto antiquiorem statuit, me consentientem habet: sed illud insuper Loccenius dabit, Legis Rhodiæ summam Æquitatem facilè vix ex solo Jure ROMANO addisci posse: factum inde, ut ex L. Rhodiæ thesauro Interpretes sibi selectas, quas tractarunt, materias, egregiè locupletarint; & fortè Tu, Mi STBORGI, tuum τὸν ἔρανον, Homero & aliis Veterum, quibus fidimus, frequentatum vocabulum, optimis ex textu L. Rhodiæ arcessitis argumentis confirmabis. Est igitur ROMANUM Jus ÆQUISSIMI ET OPTIMI JURIS PRUDENTIA: & hæc tibi, qui aliàs bene monenti parere didicisti, in aurem quasi insusurrare volui: fac quæso, ut studium JURIS ROMANI ad auctumnitatem perducas: nec illud te ignorare volo: PLUS ULTRA; ac hoc memineris, tunc quoq; discendum, cum quasi in sepulcro alterum habebis pedem: Sic enim ReiPublicæ magnus vir eris. Vale & fave, Dabam è Musèo meo, Wittenbergæ d. XVI. Augusti ANNO 1669.*

JOACHIMUS Nerger/
D. & P. P.

(o)

Cum DEO.

Thesis I.

Subsidia charitatis, qvibus tristiore aliqvo casu afflictis & egenis, id est proximo, inter homines subveniri solet, diversimodè explicantur. Hebræorum Magistri ex Lege Mosaica *Deut. 15. vers.* 7. distinguunt inter egenos fratres seu proselytos, & gentiles; traduntq; fratri mutuum dandum qvod sufficiat, pro penuria ejus qvâ ille laborat. Et qvæ in d. textu seqvuntur de anno remissionis, ita intelligunt, ut non mutuum sed donatum habendum sit qvod indigenti sic subministrandum; Ita tamen ut ex eo præcepto colligant, supplenda saltem qvibus indiget, minimè verò eum ditare præceptum esse. Præferunt etiam inopem propinqvum, aliis qvibuscunq; ; inopes domesticos, inopibus urbis; Urbis suæ, inopibus urbis alienæ; *ex Deut. 15. vers. 11.* Eleemosynam autem ipsam ajunt non è Charitatis seu fervore seu arbitrio, sed ex juris stricti, ejusq; à Numine præstituti obligatione pendere, & invitis etiam dominis, si pauper esset ex Israëlitis, eripi fas esse. Qvæ & alia plura huc pertinentia elegantissimè tractat *Seldenus de jure naturali gent. & Civili juxta disciplinam Hebræorum lib. 6. c. 6.* qvem non describo.

2. Sapientes Romanorum inter qvos Excellentissimus Papinianus in *L. 7. de Servis exportandis* naturæ dictamen proponit: Beneficio afficere hominem, interesse hominis; qvo nullam obligationem juris constituti, sed amoris & benevolentiæ gratiam, cum utilitate communi conjunctam in his actionibus agnoscit.

3. Marcus verò Tullius in *Lib. 2. de LL.* obligationem qvandam naturalem profitetur in hoc negotio qvam Reip. debeamus:

pro qvâ mori, & cui nos totos dedere, & in qvâ omnia nostra ponere & qvasi consecrare debeamus.

4. Scilicet ordo qvidam Charitatis à naturâ ipsâ constitutus est, ut qvamvis omnes sibi esse benè malint qvam alteri, qvod Comicus ait; Attamen cum eadem natura mater effecerit, ut homo sit Φύσει πολιτικὸν ζῶον πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον; Sirempse lege hâc suâ φιλαυτίαν illam ad societatis civilis necessitudinem eatenus restrinxit, ut ne qvis ultrà sibi prodesse debeat, qvam sui concivis dilectio admittat, qvem eodem qvo seipsum amore complecti per societatis civilis jura obstrictus est *l. 3 de Justit. & Jure*.

5. Atq; illud est qvod Philosophus *1. Polit. c. 2.* indicat: Τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου, καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν, ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν. Ex qvo præclare Tullius *in 3. officiorum* elicit: Detrahere aliqvid alteri, & hominem hominis, civem civis incommodo, suum solius augere commodum, magis esse contra naturam, qvam mors, qvam paupertas, qvam dolor, qvam cætera, qvæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

6. Proinde prudentissimi legislatores omnibus civibus suis eundem finem proposuerunt, ut eadem sit utilitas, uniuscujusq; & universorum, qvam si ad se solum qvisq; rapiat, dissolvatur omnis humana consociatio.

7. Ergo liberare egenos miseriâ, & succurrere afflictis, inter maximè laudabilia & divina opera censendum est. Cæterum ne qvis erret facilè, in publicis calamitatibus, fame sc. aut peste, aut annonæ charitate, aut terræ motu, aut incendiis, aut inundatione, aut incursu hostium, aut bello, aut aliis similibus accidentibus, ubi aut nullum in privatis est, aut immensum remedium desideratur, non facilè admittenda privatorum subsidia publicè impertita, qvia ut Politicorum filii monent: non è cosa Sicura, che, un comune habbia tanto obligo ad un huomo privato *Giov. Bot. della Raggione di stato l 1.* Cũ Cassius & Manlius Capitolinus, Spurius Aemilius, & Gracchi his ex causis perierint. Erunt igitur hic partes ejus qvi Reip. præest idem Boterus: In vero, *1. publichi disastri, sono,*

ſono, la propria materia è la miglior occaſione, che ſi poſſa appreſentare ad un principe, di qvadagnarſi gli animi & i cuori de ſuoi. Verum enim vero, privatorum civium caſus privatos, & domeſticas qvaſi miſerias concivibus ſervamus, & in his ἔρανον Græcorum & max. Athenienſium in auxilium advocamus, qvod ut dextrè expediamo Sanctiſſimum Numen qvod amorem in cordibus hominum implantavit ſubmiſſè imploramus invocamusq; velit jubeat eam in nobis excitare charitatem, qvam naturalem nobis concreavit.

8. Inqvirimus autem 1. Qvid Græcis in more hic poſitum fuerit 2. Qvid Latinis, & qvidem diverſimodè vel ſub Romanis vel Conſtantinopolitanis Imperatoribus 3. qvis Erani uſus, poſterioribus ſeculis in Eccleſia Chriſtiana, & poſtqvàm Imperia hæc deſierunt.

9. Ipſam vocis originationem qvod attinet, Græcam eam eſſe qvivis facilè intelligit vel ab ἔραμαι ab antiqvo ἔρα qvod eſt terra & inde ἐρᾶν fundere in terram qvod Salmaſio placet notatq; Φορὰν, εἰσφορὰν καταβολὴν & ipſum collegium in hanc rem inſtitutum *Sam. Petit. ad jus Attic. c. 2.* tributum, penſitationem, fuſionem *ex l. 27. §. 3. de uſufr.* ut & charitativam collationem, donum, munusvè ad amicorum neceſſitates, beneficium & gratiam, qvod ex Demoſthenis oratione ad Νικοστρ. Iſocrate in Buſirid. facilè demonſtraremus ſi opus eſſet, alias ſignificationes qva Symbolis convivarum accommodatur vox eadem, ſtudio jam omittimus, qva de videatur brevisſimè Eraſmus in adagio *Φόνου ἔρανος*. Pulcherrimus hic & verè humanus Græcorum mos eo pertinuit, ut amicis & civibus adverſam fortunam pasſis, amicorum & ſodalium facultates ſubſidio eſſent: Accipiebant enim iſti infelices ab amicis aliqvam pecuniæ ſummam, eâ lege, ut ſi Deus aliqvando meliora daret, qvantum ab illis erogatum eſſet, tantundem ipſi reſtituerent.

10. Definimus igitur ἔρανον mutuum qvoddam gratuitum, qvo amici & civis fortunæ ſuccurritur, cujus tantundem reddendum, ſi melior fortuna hoc beneficio adjuta, afflictas opes reparaſſet; non reddendum ſi iniqvior ſors ſemper premeret, civis in ordine ſuo ſervandi cauſa. Definitio

11. Mutuum diximus qvia utiq; reddendus fuit ἔρανος; Theophrastus περὶ μεμψιμοιρίας: καὶ ἐράνου εἰσενεχθέντος παρὰ τῶν φίλων καὶ φήσαντός τινος, ἱλαρὸς ἴσθι, καὶ πῶς; εἶπεν, ὅτι δεῖ τὸ ἀργύριον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ, καὶ χωρὶς τούτων, χάριν ὀφείλειν ὡς εὐεργετημένον.

Nempe ἔρανος qvasi creditum singulis mensibus extremis exigendum à recipiente fuisse è Suida, Harpocratione Polluce probat *Samuel. Petit. ad LL. Atticas Tit. de Collegiis.* Præsumitur autem etiam jure civili in dubio potius mutuum qvam alius contractus nempe depositum vel donatio maximè non concurrentibus tribus præsumtionibus de qvibus *Mozz. Tract. de Mutuo C. de naturalibus mutui num. 25. & seqq.*

12. Gratuitum diximus qvod re non amplius contrahitur obligatio qvam qvatenus est datum *l. 17. de pact. l. 11. §. Si tibi de rebus creditis l. 9. C. de non num. pecunia.* Unde natura hæc mutui dicitur, ut sit gratuitum *l. qvamvis C. de usuris.*

Et qvamvis aliàs juribus civilibus omnium ferè Rerumpubl. introductæ sint usuræ licitæ, & legibus moderatæ; Videtur tamen qvæcunq; jure positivo licita usura, ab illis malè capi, qvos fortuna vel vis major depauperatos humanæ concivium opis indigos fecit, qvatenus officium bonorum servent: *Mevius disc. levam. inop. debitorum cap. 4. sect 5. n. 47.* ne qvos una manu extollere inopes officiosa Charitate studemus, eos veloci fœnoris atrocitate alterá trucidemus; verbo, ne afflictis addatur afflictio *arg. l. ex conducto §. Si vis & seq. & l. si merces 25. §. vis major D. Loca. l. 8. & 18. C. eod. arg. Gail. 2. obs. 23. n. 23. Heig. p. 2. qvæst. 1 n. 68.*

13. Diximus porro ἔρανον non reddendum si iniqvior sors semper premeret, hoc moris fuisse idem Theophrastus περὶ αὐθαδείας innuit: καὶ φίλῳ δὲ ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν, εἰπὼν ὅτι οὐκ ἂν δοίη, ὕστερον ἥκειν φέρων, καὶ λέγειν ὅτι ἀπόλλυσι καὶ τοῦτο τὸ ἀργύριον. timebat enim casum morosus iste ἐράνου εἰσφέρων deficientis fortunæ. Melius ille dixit qvi dixit.:

Extra fortunam est qvicqvid donatur amicis.

14. Cæterum ex his qvæ hactenus dicta sunt, manifestum est ἐράνου hoc genus medium qvoddam esse, inter id qvod δάνειον creditumq; propriè dictum, & stipem illam qvotidianam qvæ hominibus

minibus mendicis & ærufcatoribus fine ullâ recuperandi fpe erogatur qvam Græci ἐλεημοσύνην vocant, qvanqvam abufivè pro ἐλεημοσύνη Græci voce ἐράνου ufos effe conftet *vid. Cafaub. ad Charact. Theophrafti περὶ ἀνελευθερίας.*

15. Caufa finalis Erani in fervatione civis in ordine fuo pofita eft, qvæ ipfa commiferationi naturali innititur, qvam cognatio illa inter homines & dilectio proximi reqvirit, qvæq; non folùm ad fingulos pertinet, fed & ad populum qvâ populus eft. Qvo auxilia mutua populorum referenda, & juramentum qvod Athenienfes Ephebi 20. ætatis anno in æde Agrauli coucipiebant in hanc fententiam: Patriam non reliqvam deteriorem fed qvàm fieri poteft meliorem.

16. Conferebatur porro ἔρανος dupliciter 1. vel voluntariè ab amicis qvotiescunq; efflagitabat res amici adverfa, nec recufare aut fubterfugere qvis poterat eorum qvibus aliqvis æqvi honeftiq; refpectus effet, cum mos poftularet Græcorum, & humanitas id maximè reqvireret non folum in fortunâ adversâ, fed etiam fiqvis fententiâ judicum omnibus bonis fuis fuiffet evolutus. Et in cafu captivitatis, qvamqvam ut verfus Philemonis indicant relati apud *Cafaub. in Not. ad Theoph. Characteres p. 331.* qvin tu potius opta periculum non facere de amicis; εἰ δ᾽ οὐ μὴ γνῶσῃ αὐτοὺς ἄλλο μηδὲν πλὴν σκιάν. Vel. 2. per collationem ftipis menftruæ in fodalitiis vel collegiis æqvalium & amicorum in κοινὸν ἐρανιστῶν *ex Polluce lib 8. c. 13. Salmaf. ad jus Att. c. 2.*

17. In ἐράνῳ amicorum nihil certi menftruæ ftipis erat, fed prout ratio amici poftularet penfitationem conferebant, at in ἐράνοις Collegiorum ex conventione focietatis, ftipes certa conferebatur in Commune, cui præerat forte ductus aut lectus ἐρανάρχης.

18. Qvi in ἐράνῳ collegiali, qvi & ordinarius qvibusdam, menftruam penfitationem vel fufionem (l. 27. § 3. de ufufr.) non folverent, fed reliqvarentur, vel non redderent locupletiores facti, adverfus illos judicia reddebantur (δίκαι ἐρανικαὶ qvæ difceptabantur ante εἰσάγοντας Collegiis ipfis fodalitiis nulla jurisd. præditis, & qvidem fingulis menfibus coram Thesmothetis hujus Collegii *Poll. l. 8. c. 8.*) compellabanturq; ἀναπληροῦν τὰ

 ἐλλείμματα

ἐλλείμματα probat id maximus *Salm. ex Demosthenis oratione contra Aristogit. 1.* Cujus verba qvia elegantissima apponam: ἐπειδάνπερ οἱ νόμοι μετὰ τοὺς θεοὺς ὁμολογοῦνται σώζειν τὴν πόλιν, δεῖ πάντας ὑμᾶς τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ εἰ ἐκάθηντο ἐρανισταὶ πληρωταί, τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις, ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι, τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν, τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν. ἔρανος γὰρ ἐστι πολιτικὸς, καὶ κοινὸς, πάνθ' ὅσα τάξαιτο τῶν νόμων ἕκαστος ὑμῶν ποιεῖ· ὃν ὁ λείπων πολλὰ, καὶ καλὰ, καὶ τίμια, καὶ μεγάλα ὑμᾶς ἀφαιρεῖται, καὶ διαφθείρει τὸ καθ' αὐτόν.

19. Facilè autem apparet has comparationes saltem de ἐράνῳ collegiali intelligendas. Collegia enim singula & corpora societatum qvasi parvæ Resp. sunt; hinc κοινὸν ἐρανιστῶν, κοινὸν λαπιτῶν *Dionys. lib. 5.* κοινὸν τῆς λυχίας &c. usitatum Græcis. Platonis autem locus *lib 11. de LL.* qvo lites super Erano in sua Rep. non admittit, in verbis ἐὰν δέ τις διαφορὰ γίγνηται περὶ τῆς ἐρανίσεως, οὕτω πράττειν ὡς δικῶν μηδενὶ περὶ τούτων μηδαμῶς ἐσομένων. de ἐράνῳ amicorum & voluntario intelligendus est, monente Doctiss. Isaacio Casaubono *ad Theoph. c. 15.* περὶ αὐθαδείας. Qvia non in omnibus civitatibus permissæ olim ejusmodi ἑταιρείαι ut infra pluribus docebitur. Qvanqvam etiam Platonis tota illa doctrina non ad Remp. qvæ uspiam existat, sed ad idealem illam & qvasi utopicam referenda, cum Plato in rebus Politicis nova commenta invenerit, qvalia ut dicitur in verbis vim qvidem habent, sed qvia experientiâ authorisata non sunt, sine ullo effectu plerumq; evanescunt. Boterus lib. 2. de ratione Status: c. de consiliis.

20. Perlustratis Atheniensium circa exactionem τοῦ ἐράνου moribus institutisq;, qvid Latinis usitatum fuerit perspiciamus. Apud hos qvidem antiqviores vocem, τοῦ ἐράνου, non temerè invenias, nec uno congruoq; & rem totam exprimente proprio vocabulo expressam, ut non immeritò Casaub. ad d. l. Theophrasti in eam venerit sententiam Latinos rem hanc ignorasse, nec propriam ullam vocem hujus rei habere: Nam qvod apud *Dionys. Halicarnass. lib 6 antiqvitatum* de Menenio Agrippa refertur eum collata stipe funeratum κατ' ἄνδρα ἐρανισμὸν vocat, id imitamentum, qvidem Erani, at planè idem non est, differentiam constituente

tuente autoritate publicâ in collatione illâ interpositâ per Tribunos plebeis, cum non ex amicorum sententia, nec pro facultatum cujusq; modo, sed certantibus qvasi Patribus cum plebe uter ordo virtutem tanti viri magnificentius pro seqveretur, plebes qvidem imperatos qvadrantes contulerunt; Qvæstores verò de sententia senatus funus libitinariis ingenti ære locaverunt, ut plebs ἔρανον suum id est summam collatitiam qvæstoribus non accipientibus liberis defuncti largiretur, miserta inopiam eorum, ne qvid indignum paterna virtute exercerent, ut Dionys. ait.

21. Apud Terentium qvoq; in Phormione vestigium hujus rei, verbis;

> Interea amici, qvod polliciti sunt, dabunt; inde iste reddet. &c.

rurs. act. 5. sc. 6.

> Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
> Ne cuiqvam suorum æqvalium supplex siet.

Apud Martialem verò lib. 3. Epigr. 51. luculentius exemplum adhibitæ hujusmodi collationis in casu incendii

> Emta domus fuerat tibi Tongitiane ducentis
> Abstulit hanc nimium casus in urbe freqvens.
> Collatum est decies; rogo non potes ipse videri
> incendisse tuam Tongitiane domum?

Et apud *Juvenal. Satyr. 3. &c. vid.*

22. Illustrius fortasse exemplum in vita Augusti Svetonius c. 41. tradit; liberalitatem omnibus ordinibus per occasionem freqventer exhibuit. Nam & invecta urbi, Alexandrino Triumpho, regiâ gazâ, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut fœnore deminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit. Et postea qvoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret usum ejus gratuitum, iis qvi cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Qvæ datio in mutuum gratuita in eos qvi re nummariâ laborabant videtur affinis ἐράνῳ nostro esse. Sed & principatus Tiberii non absimile qviddam indicat Tac. annal. 6. Inopiâ, ait, rei nummariæ, commoto simul omnium ære alieno & qvia tot damnatis, bonisq; eorum divenditis, signatum argentum Fisco vel ærario attinebatur. Ad hoc Senatus perscripserat, duas qvisqve

fœnoris

fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret. Sed creditores in solidum appellabant, nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primò concursatio & preces, dein strepere Prætoris Tribunal, eaq; qvæ remedio qvæsita, venditio & emtio in contrarium mutari, qvia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secutâ vilitate, qvantò qvis obæratior, ægrius distrahebant. multiq; fortunis provolvebantur, eversio rei familiaris dignitatem & famam præceps dabat: donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factâqve mutuandi copiâ sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides & paulatim privati qvoq; creditores reperti, neq; emtio agrorum exercita ad formam SCti, acribus ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

23. Sed vero non videntur ista ἔρανον sapere nostrum, imò potius popularis egestatis, publica remedia qvæsita; nulla hinc privatæ Charitatis subsidia legas. nec nisi semel adhibita largitas imperatorum ἐράνῳ Attico æqviparari potest, qvi sæpius & qvotiescunq; necessitas amici efflagitaret, & privato amore collatus. Nimirum cum ipsa veteri Romanâ Republ. dilectio illa civilis societatis in concives, & servandorum amicorum æqvaliumq; affectus animam jam tum agebat. Civibus Regum dominorumq; à reipublicæ studio in proprias domus vertentia consilia, ut solet in deterioribus, imitantibus; qvin etiam Cæsarum hanc benevolentiam pro esca habebant, qvâ caperetur libertas bello perdita; sic nemo civium Romanorum in eo pertendit creditores qvidem reperti qvi egentibus mutuò darent nummos; nec SCTum observatum de emtione agrorum, ipse indicat Tacitus dum notat: acribus initiis incuriosum finem datum. Nam ita solet usu venire. Ubi eorum qvi Reipubl. præsunt mores publici, cum legibus optimis, latis aut repetitis, non conveniunt. Mali mores ait Plautus in Trinummo, qvasi herba irrigua succreverunt uberrimè: neq; qvicqvam hic vile nunc est, nisi mores mali: eorum jam licet messem metere maximam. & rursus. mores leges perduxerunt in potestatem suam. Eæ miseræ, etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores adfigi nimis fuerat æqvius. *Qvid multis?* non tantum ille amicorum voluntarius

Eranus

Eranus aut collatio miseris inferri solita ex usu civium brevi periit Romæ, sed imò constat ex Epistola Plinii secundi ἔρανον collegialem & ordinarium Romæ planè in desuetudinem abiisse, ut Plinius operæ pretium duxerit Imperatorem Trajanum ea de re consulendi; extant literæ *Plinii lib.10. Epist.93. cui Trajanus epistola 94. respondet*: *Amisenos quorum libellum Epistolæ tuæ junxeras, si legibus illorum, quibus de officio fœderis utuntur, concessum est Eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire, eò facilius, si tali collatione, non ad turbas & illicitos cœtus, sed ad sustentandam tenuiorum inopiam utuntur. In cæteris civitatibus, quæ nostro jure obstrictæ sunt, res hujusmodi probibenda est.* Ex quibus rescripti verbis satis apparet non permisisse principes Romanos in suis & Romanis LL. astrictis urbibus ἐράνους, tolerasse in liberis & fœderatis, qualis Amisos fuit in Ponto & Paphlagonia sita ut notat *Marcell. lib. 22.* & tolerasse quidem cum moderamine ne ad turbas & illicitos cætus abutantur.

24. *Sed ratio nobis* quærenda est, cur tam pium salutiq; urbium magnarum luculentissimum institutum aversati sint Impp.? Si Aristotelem sequimur res in aperto est: nempe quod Sall. ait, Regibus boni quàm mali suspectiores sunt, semperq; his aliena virtus formidolosa est. Unde unius imperii σωτηρίας in illo Philosophus ponit τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν. Καὶ μήτε συσίτια ἐᾶν μήτε ἑταιρείας μήτε παιδείας καὶ πάντα ποιεῖν ἐξ ὧν ὅτι μάλιστα ἀγνῶτες ἀλλήλοις ἔσονται πάντες· ἡ γὰρ γνῶσις πίστιν ποιεῖ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους. *Aristot. 5. Polit. c. 11.* Veram hanc causam fuisse dubitare nos non sinit *l. 2. & 3. De Collegiis & corporibus* quibus ii qui collegia nec SCTis nec principum Autoritate munita usurpaverint Majestatis rei judicantur. Improbata quippe collegia ab illis semper Principibus qui Monarchiam vel unius Imperium, specie recusantium, flagrantissimè cupiissent. Nam & Tarquinius ultimus Regum Romanorum conventibus collegiisq; interdixerat, *Dionys. lib. 4.* & Cæsar cuncta collegia, præter antiqui-

tus constituta detraxit *Sveton. in Cæsare.* Et Augustus Collegia, præter antiqua & legitima, dissolvit *Svet. in Octavio c. 32.*

25. Ut non consentiamus doctissimo Cujacio qui in *7. obs. 30.* asserit: Non tàm factionum metum quam commessationum & compotationum intemperantiam, quæ pariat deterrima, inutilissima, infandissimaq; quæq;, causam fuisse primam non admittendorum Collegiorum omnium. Unde Claud. Neronem, Vespasianum, carnes dixas assasve publicè ne veniant constituisse, ut ne quidem pistoria præponi venalia Tiberius admiserit, popinas ganeasq; omnes inhibuerit *Svet. in Tib. c. 34.*

26. Verum quidem est in omnibus cœtibus ἑταιρικοῖς solenne fuisse convivia celebrari omnium Collegii sociorum. Sed ista non tanti; prætextum hæc dabant in vulgus, non terrorem in aulam, quæ propter abusum Comessationum utilissima Reipub. sodalitia non fuerit abjectura. Consociatio animorum, arca Communis, pecunia parata & istud analogum parvæ Reip., hæc causa timoris erant apud Principes Rempub. Romanam, iisdem Magistratus vocabulis manentibus, verso Civitatis statu ad se trahentes, nec refert quod Judæis gratia facta Collegii habendi à Gajo. Nam vel Religionis causa hic operata est *l. 1. §. 1. de Colleg.* vel quod exteros hos minus timuerunt. Aristot. d. l.

> Καὶ τοὺς ἐπιδημοῦντας ἀεὶ φανεροὺς εἶναι, καὶ διατρίβειν περὶ θύρας. *It.* Καὶ τὸ χρῆσθαι συσσίτοις καὶ συνημερευταῖς ξενικοῖς μᾶλλον ἢ πολιτικοῖς, τυραννικόν· ὡς τοὺς μὲν, πολεμίους, τοὺς δὲ, οὐκ ἀντιποιουμένους.

27. Certe Roma nunquam quam sub Principibus vanitatibus & luxui magis dedita fuit, ne longior sim remitto *ad Marcellini librum 14. fol. 13. & lib. 22. fol. 207. lib. 28. fol. 370.* editionis Valesii: ubi laudatus Autor de plebe otiosâ Romanâ: Hi omnes ait, quod vivunt & vino & tesseris impendunt & lustris & voluptatibus & spectaculis, eisq; templum, & habitaculum & concio & spes omnis Circus est maximus. Quæ probra aliaq; his majora dissimulatione jugi neglecta ita effrenatius exarserunt, ut nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus rediisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam: tantam plerosq; labem insanibilium vitiorum oppressisse, plura ibid. videantur.

tur, ex quo vel solo apparet compotationes comessationesq; ut nunquam postea inter missas, causam prohibitorum collegiorum veram & solidam non fuisse.

28. Reliquum est ut dispiciamus, anne probatus sit ἔρανος noster Constantinopolitanis Imperatoribus, inter eos agmen ducit meritò Justinianus qui in *l.1. de Colleg. & Corp.* videtur admittere eum. Incipit quidem lex illa à prohibitione: Mandatis principalibus, ait, præcipitur præsidibus Provinciarum ne patiantur esse Collegia sodalitia, neve milites Collegia in Castris habeant. Addit tamen: Sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre; dum tamen semel in Mense coëant, ne sub prætextu hujusmodi illicitum Collegium coëat &c. hocq; non solum in urbe & in Italia, sed in Provinciis locum & habeat Divum Severum rescripsisse. Stipem illam interpretantur Dd. ἔρανον *Theophilus in §. tradita Instit. de rerum divis.* σῖπας ἐστὶν ὁ ἔρανος, καὶ ἡ κατὰ μικρὸν γινομένη τοῦ ἀργύρου καὶ τῶν ἄλλων συλλογή. Si hoc probamus ἐράνου in Compilatione digestorum rationem habitam esse negare non possumus, quamvis ipsum ἐράνου vocabulum expressum non legamus.

29. *Alciatus quidem in lib.2. dispunct. c.25.* ipsum etiam ἔρανον legere voluit in l.102. de solut. & lib. in verbis: mox pecunia quâ illa Respub. utebatur, quasi ærosa jussu præsidis sublata est. Voluit quasi ἔρανος jussu præsidis sublatus, forte quia Trajanus ut supra adductum in urbibus quæ jure Romano uterentur ἐράνους prohibuerat. Verum doctissimus Dempsterus *in addit. ad Antiquit. Rosini lib. VII. p.319.* lites eam lectionem improbat & ærosam cum Gothofredò in notis rectè defendit; scil. dici eam, quæ multum æris admixtum habeat, sed ista obitèr. Verum interim est menstruæ illius stipis illationem eandem esse cum intributione per modica æra vel tributo quod ex *Cic. 1. de LL. probat Gaddæus ad l. 27. de V. S. n. 9.*

30. Proinde ut manifestius reddamus collationem illam vel pensionem ἐρανικὴν jure Justinianeo non improbari imò fundamentum solidum ἑταιρείας eo jure ex antiquitate repetitum custodiri, adducimus *l. 4. & ult. De Collegiis.* Cujus apertissima verba in principio legimus: Sodales sunt qui ejusdem Collegii

 sunt,

sunt, quam Græci ἑταιρείας vocant. His autem potestatem facit lex, pactionem quam velint, sibi ferre; dum ne quid in publica lege corrumpant. Ergo jure Justinianeo admissa, pacta, dispositiones, statuta sodalium omnia, quæcunq; publicis legibus non prohibentur; vel ut σχόλια βασιλικῶν ad eundem Tit. loqvuntur καὶ μὴ ἀπαγορεύει δημόσια πράγματα, τοῦτ' ἔστι, μετὰ τῶν μὴ παρεμφθειρόντων τῷ δημοσίῳ νόμῳ per consequens etiam statutum de conferendo ἐράνῳ.

31. Cæterum particula sequens *l. 4.* quæ legem Solonis ex qua ista juris definitio desumta sit, refert, maximis cum difficultatibus & corruptionibus colluctatur. Ut illud quod communiter dicitur, quod quæ legantur Græcorum Testimonia in libris Latinis, ea depravatissima circumferri; vel maximè in nostra legis 4 particula locum habeat, cum ejus propè verbum nullum sine labe & vitio sit. Arguunt hoc tot diversæ lectiones, tot correctiones Dolum; alitèr vulgata lectio se habet, aliter libri βασιλικῶν & Cujacius 7. obs. 30. in fin. aliter Sam. Petitus ad jus Atticum Tit. de Collegiis, alitèr doctissimus Salmasius, qui corruptionem textus exinde ortam putat, quod apud Latinos Græci Textus plerumque majusculis literis ante alia secula scripti sint, unde facilis literarum commutatio. Cui fortè addendum ipsam veterum rationem scribendi ab initio nonnihil obscuritatis Solonis LL. addidisse ἄξονες enim scripti erant βουστροφηδὸν quod ex Veteribus Grammatt. *Sam. Petit ad LL. Atticas notat.*

32. Sed antequam Solonis Axonem ipsum ejusq; singula verba penitius inspiciamus, præmiitendum erit cum doctissimo Salmasio in quo omnes ferè conveniunt in hac lege. 4. Solonem tractare de variis Collegiis & sodalitiis non solum sacrorum, sed & aliarum rerum causa institutis, quæ facilioris intellectus causa dici possunt vel φυσικαὶ vel συγγενικαὶ, quarum prima οἰκία sive πάτρη, deinde κώμη sive δῆμος & olim φρατρία atq; etiam φυλή.

Vel νομικαὶ vel πολιτικαὶ. Qualis συμμορίαι, φυλαὶ, φρατρίαι, δῆμοι & cæteræ quæ νόμῳ constitutam habent κοινωνίαν

Vel ἱερατικαὶ ut ἱερατειῶν & ὀργεώνων.

Vel προαιρετικαὶ quæ ex voluntate coëuntium susceptæ sunt, ut omnes ἑταιρικαὶ κοινωνίαι & sodalitia Collegia.

Ex

Ex his jam colligit Salmasius omnes illas voces l. 4. vel Axonis Solonici quæ non habeant corporatorum in collegiis significationem, eas spurias, fugitivas esse & loco movendas.

33. Prima itaq; vox Δῆμος ferenda non est. Nam cum Solon ibi non loquatur de populo universo civitatis sed de variis cœtibus & coitionibus corporum quæ civitatis totius partes sunt, quas Theseus per vicos dispersos unum in urbem contraxerat, manente cujusq; nomine; existimandum est Solonem de his Sodaliciis politicis numero multitudinis locutum quemadmodum & plures erant, nec ipsa vicorum & pagorum, collegia & corpora, sed corporatos eorum nominasse, quemadmodum non Φρατρίας sed Φράτορες non συσσιτίας, non θιάσες sed θιασώτας & Συσσίτες enumeravit; legendum ergo ἐαὶ contra δημοι qui sunt δημόται veteri lingvâ Atticâ quâ Solon usus. Hesychius docet Δημοι ἐόντες ὀξυτόνως δημότην καὶ ἕνα τῶν πολλῶν.

34. Ἢ Φράτορες hæc sana vox quæ Solonis tempore tertiam partem tribus denotabat. Φυλὴ εἰς τρία διῄρητο, ὧν ἕκαστον μέρος τριττὺς καὶ Φρατρία ὠνομάζετο. Sam. Petit. ex Gramm Vet. Salmasius autem multis d. l. docet Φρατρίαν dictam esse quoq; πατρίαν, cum instituta est σύνοδος κοινωνικὴ ἱερῶν quæ sorores cum fratribus, quamvis in aliam familiam translatas conjungeret, tandem addit: Hæc igitur nomina Φυλή, Φρατρία, γένος, quæ τῆς συγγενείας olim fuere appellationes, ad civium particulares communitates & collegia designanda traducta sunt, quorum consortes inter se nullâ cognitione aut propinquitate juncti tenebantur ex Suida in voce γεννῆται.

35. Ἢ ἱεροποιοὶ ita Salmasius corrigit, legebatur vulgò ἢ ἱερῶν ὀργίων ἢ ναῦται. βασιλικῶν libri cum viderent ναύτας non posse hic locum habere substituerunt vocem μηνυταὶ ut de his intelligeretur qui orgia sive sacra interpretantur & ostendunt, Verum cum ὄργια nulla nisi ἱερὰ & per vocem ὄργια Grammatici interpretentur μυστήρια ἱερὰ, satius est ut cum Salmasio ἱεροποιοὺς legamus ex *Pollnce lib. 8. c. 9.*

36. Ἢ ὀργεῶνες in hac lectione consentiunt Sam. Petit. & Salmasius fueruntq; οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ Ἡρώων συνιόντες. Harpocration. ὀργιάζειν γὰρ ἐστὶ τὸ θύειν, καὶ τὰ νομιζόμενα δρᾶν Suidas ex Seleuco

 qui

qui in Axonês commentarium ediderat probat his verbis: ὀργεῶνάς φησι καλεῖσθαι τοὺς συλλόγους ἔχοντας περὶ τινὰς ἥρωας ἢ θεούς. Quod ait συλλόγους ἔχοντας collegium eorum sive πολιτικὸν σύστημα peculiare significat constitisse.

37. Sequitur in Axone ἢ σύσσιτοι, ὁμόγαλοι, θιασῶται Harpocration θίασος ἐστί τι ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ ἢ τιμῇ θεῶν in societatis corpus redacta multitudo ad honorem cuicunq; Deo exhibendum & sacra ejus celebranda, & θιασῶται ejus societatis consortes addit Salmasius, tales hodie esse confratrias in honorem alicujus Divi congregari solitas, ex artificum vel opificum plebe, cum singula opificia Sanctum suum cui se consecrarunt & quem proprio cultu venerantur, habeant, scil. apud Pontificiæ religioni addictos.

38. Differebant hi θιασῶται à συσσίτοις, quia σύσσιτοι semper unà vescebantur, θιασῶται certis tantum diebus cum sacra facerent. Συσσίτια apud veteres Athenienses, Spartanos, Cretenses frequentia, æquiparantur primorum Christianorum ἀγάπαις *vid. Salmas. hic.*

39. ὁμογάλων vocem αὐτὶ τῶ ὁμοτάφων restituit Salmasius quod non legamus hoc nomine & hac conditione coiisse olim Collegium, ut nulla inter Collegiatos esset κοινωνία nisi ταφῆς. Occasionem corruptionis putat dedisse literas Capitales Græcorum γ. eodem modo quo τ. pingentium inde cum scriptum esset ΟΜΟΓΑΛΟΙ. imperitos librarios fecisse ΟΜΟΤΑΦΟΙ. ὁμογάλακτες propriè fratres & sorores qui eadem matre geniti, eodem lacte educati; ex his fit pagus Aristoteli κώμη, οἰκίας ἀποικία, colonia familiæ, οὓς καλοῦσι τινὲς ὁμογάλακτας, παῖδάς τε, καὶ παίδων παῖδας. Sed Athenis sic appellati non qui genere se contingerent, sed qui κοινωνίᾳ hôc nomine appellatâ conjungerentur.

40. Ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι ita vulgo Florentinæ Pandectæ. Libri βασιλικῶν; ἐπὶ λεία ἐρχόμενοι. Sed istarum lectionum nulla probatur. Vulgatam & βασιλικῶν lectiones improbat Samuel Petitus ex eo, quod si maleficii societas coita sit, constet nullam esse societatem l. 57. D. pro socio. Et propterea legi vult ἐπὶ λεῖον ex Hesychio qui σῖτον exponat. Sed pace tanti viri, dicam, non

omnis

omnis ad prædandum ſocietas eſt inhoneſta habita. Non jam in medium producam Thucydidem qui primo de bello Peloponneſ. ait: tantum abfuiſſe ut Græci latrocinia alicui probro darent, ut potius aliquid gloriæ inde laudisque ſe conſequi dicerent, ubi ſcholiaſtes Græcus ἦν γὰρ οὐκ αἰσχρὸν νομιζόμενον τὸ λῃστεύειν. Quod idem de Germanis majoribus noſtris Cæſar lib. 6. de bello Gallico prædicat. Illud ſaltem memorabo hiſtoriarum ſcriptores literarum monumentis & memoriæ prodidiſſe Charinum Ψήφισμα contra Megarenſes ſcripſiſſe ἄσπονδον εἶναι καὶ ἀκήρυκτον ἔχθραν, ὃς δ' ἂν ἐπιβῇ τῆς Ἀττικῆς Μεγαρέων θανάτῳ ζημιοῦσθαι· τοὺς δὲ στρατηγοὺς ὅταν ὀμνύωσι τὸν πάτριον ὅρκον, ἐπομνύειν, ὅτι καὶ δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσι. Hoc & ſimili tàm irreconciliabili & publico bello. Quid vetat etiam cives privatos in hoſtem armari, excurrere, privaticam exercere? modo fiat ſummi Magiſtratus bonâ cum venia permiſſuq;, atq; cum hujus literis commisſionis uti hodie vocant, quibus inſtructi ſi ſint privati iſti eòs non videri maleficii ſocietatem cojiſſe. Imò hodie illud genus ſocietatis in Hollandia & fœderato Belgio uſitatisſimum & Reip. illi maximè ſalutare fuit. *Meteranus lib. 4. Hiſt. Belg.* atq; hinc patet facilè, rationem doctisſimi Petiti non quadrare.

41. Correctionem autem ejus in ἐπὶ λείαν quod Heſychius πλοῦν interpretetur; propterea non admittimus; quia ut in ſeq. patebit Solon negotiationis cauſa contracta συστήματα exprimit, ſub quorum genere etiàm coemtionem & importationem frumenti contineri, nullum eſt dubium, ſeparatam autem ſocietatem frumenti ſolius emendi causâ contractam non legatur Athenis inſtitutam fuiſſe.

42. Salmaſius non ea ratione utitur an unquam talis ſocietas prædandi causâ inita ſit apud Græcos aut Barbaros, nec an iniri posſit? ſed an Collegium certum ἑταιρεία ſtata, certorum hominum numero definita, cui lege Solònis coire licuerit Athenis obſervata ſit? quod dicit ſe nunquam legiſſe. Reſcribit igitur ἢ καπηλειῶν κοινωνοὶ (vel κοινώμενοι Atticè) ἢ ἐμποριῶν. Vox κοινωνοὶ in οἰχόμενοι ex majuſcularum literarum ſcriptione errore orto mutata. Scil. vulgò Athenis vocabantur κοινωνικοὶ mercatores & negotiatores ἔμποροι ſc. magnarii mercatores, qui navigant & in

copia

copia vel per aversionem emunt ac vendunt merces (Italis mercantia reale dicta) qui habere debent καπήλυς quibus sua vendunt. Institores ac propolos, qui per partes in foro vendant. Hos Græci Aristotes, Xenophon, Suidas, semper conjungunt, putatq; non potuisse probabiliore conjectura hunc locum restitui, quam hâc quæ καπηλείας conciliaret cum ἐμπορία in lege Solonis, cum in vita, istæ professiones ita individuæ sint, ut altera alterius ope carere nequeat.

43. Restituimus ergo cum laudatis doctissimis viris hanc integram legem in hæc verba:

Ἐὰν δὲ δημοὶ, ἢ φράτορες, ἢ ἱεροποιοὶ, ἢ ἐρανῶνες, ἢ σύσσιτοι ἢ θιασῶται ἢ καπηλειῶν κοινάμενοι, ἢ ἐμπορίων, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι; ἐὰν μὴ ἀπαγορεύῃ δημόσια πράγματα.

44. Textum l.4. §.1. ita efferimus freti doctissimorum virorum observationibus, quas si non omnes probabunt, speramus tamen hac enarratione obscurissimi textus, & sensum Solonis sapientissimi viri nos proprius assecutos, & verba legis mentemq; ad benè institutæ Reip. finem luculentius perducturos. Etenim jam nunc ut putamus manifestum est, hac lege inter alia confirmari omnium πολιτικῶν καὶ ἑταιρικῶν συστημάτων Collegia & corpora eorumq; statuta, pacta, conventa, legibus publicis non adversa. Proinde nec conventiones τῶν ἐράνων excludi existimamus, utpote quas naturalis amor & amicitia inter homines, cum nexu societatis civilis conjuncta, omnibus maximopere commendat, sociis vero & fœdere ἐρανικῷ conjunctis vel imprimis.

44. Deniq; exponendum est, quis unus Erani fuerit, postquam Romanum & Constantinopolitanum Imperia attrita sunt. Sane Ecclesia Christiana, advertendo animum ad eruditionem quæ industriâ acquiritur, in prioribus tribus à Christo Salvatore exhibito Seculis, adolescentiam quasi egit quandam, impedientibus studiis perpetuis persecutionibus & calamitatibus. In quarto & quinto, videas quandam virilem quasi ætatem & ἀκμὴν: in posterioribus vero sequentibus sensum quoddam, atq; effætam ætatem; *Nostro*, marcescentem languorem. Nam sicuti circa præcepta charitatis prima illa tempora adolescentiæ fervida fuerunt, & sine

morosâ

morosâ diſputatione ipsâ vitâ & factis expreſſa à Chriſtianis regula Salvatoris; Ea quæ vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos faciatis ipſis, in quâ principium τῆς ἰσότητος naturæ convenientisſimum Athenienſes aliiq; culti populi conſtituerunt, quod ex Demoſthenis loco in Midianâ elegantisſimè probat *Salmaſ. d. l. pag. 38* poſtea vero quam per Conſtantinum pax Eccleſiæ reddita eſt, deficere vigor ille animorum, & ſtudiis, ſcribendisq; libris incumbere & ſe totos dare: Ita tandem deficiente Imperatorum curâ, utpote horum potentiâ in curſibus Barbarorum labefactatâ, quaſi licentiâ nimiâ facti deteriores Pontifices, in monſtra & portentoſam inſolentiam degenerarunt.

45. Ipſe Baronius circa ſeculum Decimum fatetur Pontifices Romanos fuiſſe homines monſtruoſos, vitâ turpisſimos, usque quaque fœdisſimos ad 50. numero. Gilbertus Genebrardus in Chron. ſec. 10. ait: ipſos à virtute majorum prorſus defeciſſe, & apotacticos,apoſtaticosq; potius, quam Apoſtolicos ſe præſtitiſſe. Quo non mirum hos omiſſâ charitate, non minus ambitioni, quam inſanis cupiditatibus aliis frænos laxaſſe, & ruinis collabentis in Italiâ imperii, molem illimitati dominatus, ſive immenſæ potius Tyrannidis in ædificare cæpiſſe. Hoc ipſum *Otto Friſingenſis fatetur in prolog. lib. 8.* Conſtare, ait, Eccleſiam beneficentiâ regum exaltatam ditatamq;, non prius regnum, in tantum humiliare potuiſſe quam ipſo ob amorem Sacerdotii eviſcerato & viribus exhauſto.

46. Hujus Architectus præ cæteris undecimo ſeculo Hildebrandus fuit, Gregorium VII. dixerunt. Hic ab Epiſcopis à ſe convocatis primus juramentum minis & terrore ſtipatorum extorſit, ne unquam à ſe diſſentirent, nunquam regis cauſam defenderent, nunquam ſuperordinato ſibi Papæ faverent vel obedirent. His artibus, (ut Necromantiam & reliqua ſcelera quæ Cardinalis Bruno apud Conradum Urſpergenſem refert, nunc taceam) noctem in Eccleſiam induxit, eamq; perjuriis, mendaciis, & ſangvine inundavit; &, verba ſunt dicti Abbatis, jam exaltatis Eccleſiæ Cornibus ad incutiendum timorem cunctis ſchismatum (malè dictorum) membris, id eſt eorum, qui è diſciplina Veteris Eccleſiæ (de quâ vide ſis *Grotium lib. 1. c. 4. de Jur. Belli & pac.*) princi-

pum causæ adessent, in Imperatorem & ipsius defensores etiam post mortem desæviit. Et quod Thucyd. de peste Attica scribit: sumto à superioribus partibus initio, ita malum, cui in capite prima sedes, cæteros quoq; quorum spes & fortunæ à papa pendent, ad unum ac imum omnes pervasit.

48. Quæ non deminuta sed aucta mala sunt, postquam Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus quatuor sententiarum libros confecit, quibus Theologiam complexus est; & Gratianus Monachus Benedictinus, Lombardi frater habitus, Corpus, quod vocant, Canonicum, Canones Conciliorum, & Patrum quoque dicta, genuina juxtà & spuria & rescripta Episcoporum Romæ continens, ad modum ῥαψωδίας compilavit de quo non immerito illud Homericum dicas Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, quibus scriptis non jam Evangelium Christi, sed verè Pontificis Regnum prædicari cœpit, unde res mortalium in pejus redactæ.

49. Nam quamvis lex Christi diliges proximum tuum sicut te ipsum, in se & suâ naturâ luculentissimum sensum habeat, dum dilectionis finem nostri & proximi ad gloriam Dei refert, 2. Synceritatem eandem utrobiq; exigit, 3. Dilectionis materiam planissimè tradit, omnia bona quæ nobis adesse, aut mala quæ abesse velimus, proximo Votis, industriâ nostrâ æquè ac nobismetipsis tribuens. *Dorschaeus in Aphor. de pp. act. hum. Theor. 242.* Lombardus tamen & sequaces hanc simplicissimam & candidam doctrinam tot inexplicabilibus ambagibus intricarunt & quasi cyceone quadam inebriaverunt homines, ut jam nec currere nec remigibus uti potuerint; quod nimis docti malint interpretari legum jussa quam exequi. *Schoock. de arcan. Imp. lib. 1. c. 11.*

50. Unum fatendum est in horum scriptis inventum interdum aurum, & inter Vepres quod ajunt Rosas enatas. Expeditiones sc. sacras crucigerorū intelligo, quinq; nūero, quæ magnis plausibus prosequutæ veteribus; Videbantur enim à Charitatis & benevolentiæ Christianæ officiis profectæ, non abnuente *Grotio de Jure B. & P. lib 2. c. 15. n. 12.* Verum cum causæ impulsivæ allatæ sint Vanæ: Epistolæ Cælo delapsæ? quod Petri Eremitæ commentum fuit; & Prophetiæ mendaces; impleta esse tempora liberandæ

civitatis

civitatis ſanctæ, & de plenitudine gentium introitura, quæ *Helmold. Chron. Sclav. pag. 78. & 142.* enumerat. Non immeritò ſuſpectæ nobis illæ ſunt, probabiliusq; nobis videtur in his expeditionibus non charitatis Chriſtianæ impulſu & ſyncera fide, ſed Punicâ & Græcâ actum. Uti etiam eſcâ illa, quâ mortales miſeri ſub omnium peccatorum remisſione excitabantur, ſublecta fuit. Scilicet inventus eſt Pontifex παραφρυκτωρεῖν & ſub ſpecie amicitiæ & concordiæ Chriſtianæ illis ipſis inſidiari, ut fortunis & opibus omnium exhauſtis, ex improviſo illos ſubigeret opprimeretq;.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Videatur *Bangertus ad Chron. Helmoldi c.31.* ubi narrat Papam Boamundi Ducis Apuliæ, Roberti Guiſcardi filii, conſilio; Germanos bellis adſvetos in earum expeditionem primam proturbaſſe, ut in tanta aquarum totius Europæ turbatione ipſe tutius piſcaretur, & Romam, è quâ per Guibertum expulſus erat, Boamundus autem Illyricum & Macedoniam occuparent: atq; ita Pontificem Religionem quidem & fraternam charitatem prætexuiſſe, at Regnum hujus mundi quæſiviſſe. Generatim vero de omnibus hiſce expeditionibus Gregorius ab Hyemburg in appellatione contra Pium Papam affirmat: Papam abutendo poteſtate ſuâ ſub velamento expeditionis militaris in Turcam Germaniæ Facultates medullitus exhauſiſſe.

51. Inter enarrabilia verò Eccleſiæ mala, quæ circa illa Tempora, & in illis expeditionibus Chriſtianos exercuerunt naturalis Saxonum noſtrorum Synceritas, laudata *Tacito lib. de mor. Germ.* radium quendam amoris civilis & Chriſtiani in proximum ſparſit, dum Bremenſes & Lubeccenſes qui cum Friderico Imperat. in Aſia militabant, ex commiſeratione, commilitones defatigatos, & laboribus aut æſtu deficientes, opemq; Ducum fruſtrà expectantes, tentoriis è velis navium conſarcinatis, iisq; in terrâ fixis, ægrotos ſuſceperunt refocillaruntq;. Quod Dux Fridericus, Cancellarius Conradus, Epiſcopus Herbipolenſis & Adolphus Holſatiæ comes ut opus Chriſtianæ dilectionis laudibus extollere, conſtructis in Urbibus Noſocomiis imitari, mox fraternitatem invicem inſtituere, tandem equeſtrem ordinem Equitum Hoſpitalium Hieroſolymitanorum de domo S. Johannis confirmari fe-

 cerunt

cerunt *Not. Alberto Cranzio in Saxonia sua lib. 8. c. 3.* cui accessit brevi alter Templariorum ordo, quod propè templum Hierosolymitanum primum domicilium esset erectum; hujus curæ commissa securitas viarum & defensio eorum qui religionis causa commeabant. Dubitares religiosius ne viverent, an fortius pro terrâ sanctâ, & nomine Christiano pugnarent. Hocq; præstabant nullo publico subsidio, sed privata plurimum, & Eleemosynariâ impensâ.

52. Verum cum hæc res ad Pontificum Romanorum palatum non esset, ut qui nollent eos redire quos sub prætextu expeditionis sacræ in exilium miserant, veriti scil. ne tot fortium virorum brevi aucta potentia sibi impedimento foret, quo minus voti sui; concupiti sacri illius regni, & Monarchiæ in hoc mundo, compotes fierent; adscito Philippo pulchro Rege Galliæ, cui jam diu ista privatorum militaris potentia, per rationem status Regii, suspecta fuerat, quiq; in bona ordinis inhiabat, Clemens V. inclementer tota Francia comprehensos Templarios damnavit & vivos cremavit, anno 1307. postea in concilio Viennensi anno 1312. totum ordinem extinxit.

53. De cujus condemnationis Justitiâ varia judicia legas apud Historicos, JCTos, Theologos, Politicos. Collegit pleraque *Augustinus Barbosa Juris Ecclesiastici universi c. 41. de Religiosorum Ordinibus n. 77. & 78. & seqq.* Qui etiamsi stet à partibus Concilii Viennensis, tamen fatetur ea, quæ pendent ex in formationibus facti & probationibus, in illis Ecclesiam falli posse. Per text. *in c. à nobis de Sent. Excomm.* item Albericum in suo dictionario verbo Templarii annotasse: Clementem V. (cujus laudes videsis apud auth. paralipoménων ad Urspergensem ad annum 1303. fol. 344. in fin.) de ipsorum innocentia admonitum, respondisse: Si viâ justitiæ ordo iste destrui non potest, fiat tamen via expedientiæ, ne scandalicetur charus filius noster Rex Galliæ.

54. Nos ex his contra Concilium pronunciamus, damnationem illam nullâ sui parte justam dici posse, nec propter paucorum crimina confessa, in integrum de re Christianâ tam optimè meritum ordinem tantopere desæviendum fuisse. Quod vero Barbosa de flagitiis non hominum sed sectæ addit, id nullibi probatum esse,

pœnâ

pœnâ ipsâ in Galliis aliquot annis damnationem præcedente, nec sectam ullam in Veteri Ecclesiâ quâ talem ultimo supplicio jure Codicis afficiendam contra Seropium & Dilliagenses, affirmamus. Condemnationem vero ex ratione status Regii de qua supra Boterum citavimus lib. 1. della ragione l. stato 9. nihil ad Pontificem aut Ecclesiam attinuisse firmiter statuimus ex dicto Christi Lucæ c. 22. vers. 25. & 26.

55. At machina illa quam monarchiæ Hierarchicæ studiosi ei sustinendo & fulciendo fabricarunt è claustris atq; Cucullis orbis Tyrannidem affectantes, Jus Canonicum appellitant, quantis res mortalium affecerit malis vix verbis exprimi potest. Ex hujus enim disciplina discimus quæ primitiva Christi Ecclesia planè ignoravit, quæ nuspiam lecta nunquam recepta l. 1. §. 1. De Senator. quæ qualia sint brevitati hic studentes lectorem remittimus ad Septuaginta formem Romanum Papatum Dorschæi, & Tubam Pacis Theodosii Berenici. Quod ad Charitatis Christianæ legem inter privatos attinet, *Budæus lib. 5. de Assep. 680. Edit. Colon. anno 1528. profitetur:* Pontificiam Jurisdictionem ita degenerasse ex charitate prisca, ut ubi æqui boniq; & benignitatisſimus solebat esse, ibi litium officina capturarumq; improbiorum aucupia nunc esse videantur ad circumscribendam familiam Domini.

56. Exemplum unicum usuras in medium producemus. Pontifices Romani usuras omneis in contractibus Christianorum detestantur *c. 1. X. de Usuris*, eas periculosas affirmant *c. 2. usurarios* à Communione altaris & sepulturæ Christianorum excludunt *c. 3. & 12* à Redemtione Captivorum. *c. 4.* appellationes eorum non recipiunt *c. 11.* sine accusatore damnant *c. 15.* & ne quis contradicere ausit, muniunt se dicto Salvatoris *Lucæ 6. vers. 35. c. 10. X. eod.* Imo nefas habent ad quædam loca sacræ scripturæ quæ non omnẽ usuram illicitam ostendunt cum Molinâ respondere quia hæc disputatio sit superflua & temeraria, quia sit contra legem matris Ecclesiæ & contra sensum approbatum ab ea verborum Christi *Scacc. §. 1. q. 1. n. 406. de Commen. & Cambio.* Imò hæreticum pronunciant eum qui affirmet pertinaciter exercere usuras non esse peccatum *Clem. un. §. sane de Usur.* sic Molinæum sic Matth. Colerum nostrum Scacc. d. l. n. 402. damnat cum Luthero. Et quia

 facilè

facilè intelligunt apud nostros homines ea bruta fulmina minus profutura objiciunt nobis autoritatem Aristotelis; qui nullâ lege edoctus, sed sola naturali ratione ductus usuram detestatus sit, & partum numi contra naturam esse affirmaverit.

57. Visus est sibi Ecclesiasticus ille Dionysius (uti Petrarcha Papam olim appellabat) de industria omnem angulum præoccupasse, omnes rimas obstruxisse ne quis Curiam suam effugeret. Nam quacunq; te vertas, captus sis. Rationem vocas? obstat Aristoteles. Scripturam explicas? præjudicium Matris Ecclesiæ terret. leges forenses appellas? sublatæ sunt & correctæ, vel à Jure Canonico si credimus, *Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampl 10. n. 45.* vel ab ipso Justiniano *in auth. de Eccles. tit. & privil. collat. 9.* initio unde possit alicui in mentem venire quasi Corpus illud Canonicum, & Pontifices Romanis per illud locuti, omnes Christianos præcisè ad fraternam dilectionem exegerint & eos fecerint ἱερὰς πλεονέκτας.

58. Verum longe aliter se res habere deprehendent illi qui veritatem altius indagantes, supinam & incuriosam credulitatem aversati fuerint. Faciunt quidem illa Canonica Juris imitamenta regulam Usuras esse omni lege, Mosaicâ, Evangelicâ, Canonicâ, authenticâ Philosophicâ & Politicâ prohibitas *Clarus §. usurm n. 12.* At vero tot subnectunt limitationes, tot fallentias colligunt, tot effugia quærunt, quibus omnibus vel præcipuis Ecclesiis suis Usuras servent *c. 1. & 8. X. de Usur.* Imò in fraudem suæ condemnationis usurariæ novos contractus antiquis LLbus incognitos excogitarunt; Montes pietatis præstitas Venetiarum, venditionis redituum, godere à godere, soccilam, alios, ut hoc obtentu in solo mutuo loquentes leges eludant, quarum apud Hostiensem in summa Tit. de Usur. §. an aliquo casu 13. fallentias videas versiculis inclusas, apud Chassanæum vero *ad Consuet. Burgund. Tit. de droits & appart à gens mariez lib. 4. §. 23. fol. 767.* Viginti & unam ap. *Soccin. Reg. 6.* limitationes 37. apud *Viv. opin. 1048.* 32. ap. Scac. 10. princip. legas alias omitto, lubens, quia ipse Scaccia, ut maximus Usurarum hostis, in sexto casu principali de præstantiis Venetiarum & montibus pietatis n. 453. fateri cogitur Doctores suos sub tot multiplicibus considerationibus &

circum-

circumſtantiis diſcurrere, ut Cerebrum potius involvant quam difficultatem tollant, imò difficultates multiplicent, & ita nutanter loquantur, ut quam quisq; voluerit, ſententiam ſecuti videantur; atq; ita Regulam ipſam ſuam plane enervent evertantq;.

59. Si cum Caſſio quæras CUI BONO? Dicam πλίλδυμα magnum Mantellum vocant religionis. *Liv. lib. 9. decad. 4.* Nihil in ſpeciem fallacius eſt quam prava religio; ubi DEORUM nomen ſceleribus prætenditur: Subit animum timor ne fraudibus humanis vindicandis, divini juris aliquid mixtum violemus. Hæc ars in Germanos Cæſares adeò olim valuit, ut tantum non totam Germaniam Papa fecerit ſibi Tributariam & in Provinciæ formam redegerit. Audiamus ab ipſis Italis quid erexerit Urbem Romam à Barbararum gentium inundationibus maximè Gothis, Herulis, Longobardis conculcatam? *Boterus libro della grandezza della Città ait:* Roma poi non è Ella debitrice della ſua grandezza al ſangue de Martiri, alle reliquie de Santi, alla ſantità de luoghi, *è alla ſuprema ſua autorità nelle materie beneficiali, è ſacre?* non ſarette non ſarebbe ella un deſerto, non una ſolitudine, ſe la ſantita de luoghi, non vi tiraſſe gente innumerabile fin. d'all' ultime parti dellu terra, ſ'el ſeggio Apoſtolico, è la podeſtà delle chiavi non vi faceſſe concorrere moltitudine inæſtimabile d' huomini, che n' hanno biſogno? *d. l. lib. 2. c. della religione.*

60. Hinc facilè exiſtimare licet quæ cauſa fuerit Pontificibus ſub nomine Canonici Juris inter Chriſtianos ſupremam quandam & poſt DEUM vicariam poteſtatem in orbem univerſum affectare, cui nec Reges nec Cæſares ipſi pares ſint. Eodemq; juris Eccleſiaſtici prætextu, omnes uſuras ad interdictum vocare? Nempe ut ſub προφάσει peccati, malè arrogatæ diſpenſationis præmia & divitias, atq; Imperium quoddam fraudulentum in ipſo Imperio ſibi pararent. Cui enim quaſi in terris alter DEUS in ſcrinio pectoris jura habeat, is ſine dubio ab omnibus ultimò provocatur; quo ipſo porro, qui judicia in manu habet Vitam, honorem, & facultates hominum in poteſtate ſua continet. Eam ob cauſam civitatibus Metropolitanis Politici conſulentes, ſi non omnem Juſtitiæ admi-

administrationem, ad minimum graviorum causarum & appellationum audientias ipsis reservant. *Bot. d. l. in c. de Tribunali di Giustitia* ait: Si fa ben questo per ragione di stato (di cui membro principalissimo è l'autorità giudiciale perlo cui mezzo siamo Padroni della vita, èdell' haierdi subditi) ratio rationis apud eundem est: la giustitia non si fa hoggi, senza interventa di danari contanti. Hor non è cosa piu efficace, per far correre le genti, che'l corso del danaro: non è di tanta farza la calamità per tirare à se il ferro, come l'oro per vulgere quà, & lá, è gli occhi, è gli animi de gli huomini.

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis Pectora?

41. Hanc veram fuisse causam arrogati contra Christi Præcepta Regni hujus Mundi, indicavit jam olim Abbas Conradus Ursbergensis sub Electionem Ottonis: Vix, ait, remansit aliquis Episcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, vel etiam Parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, *sed non manu vacuâ.* Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur catharactæ thesaurorum in terrâ, ut ad te confluant Rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jocundare super adjutrice tuâ discordiâ, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes qvod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, *non per tuam religionem orbem vicisti.* Ad te trahit homines non ipsorum devotio, aut pura conscientia, *sed scelerum multiplicum perpetratio & litium decisio pretio comparata.* Quibus locus propterea adscribendus fuit ut Boteri supra relata verba explicarentur & fraus ejus atq; religionis prætextus evolveretur.

42. Ut redeamus in viam, Usuras quod attinet ita tenendum est, cum Covarruvia *2. var. resolut. lib. 3. c. 4.* aliquid ultra sortem justè & licitè accipi, ubi id datur ex causâ lucri cessantis & damni emergentis, quod deducitur ab æquitate Justitiæ commutativæ

tativæ quæ in æqualitate implementi contractus contrahentium ratione consistit *Arist 5. Ethic. c. 5.* & hoc interesse usuram dici posse ipsi Pontificii moralistæ non negant. Hoc vero approbare,& usuram omnem improbare, nihil aliud est, quam nomen usurarum rejicere, rem ipsam admittere, leges verbis non rebus ferre. *Videatur Dominus Habnius Doctor noster ad Wes. tit. de Usur. p 54. & 55. Vir Peplo dignus Mavius tr. discuss. levam. deb. inop. c. 1. n. 1. Seldenus Grotius. alij.*

63. Regulam ergo statuimus Usuram ex se & simpliciter non esse illicitam,& quicquid inibi vitii sit ab hominibus trahi. Sed conditiones certas observandas quarum prima à debitoris & creditoris personâ æstimanda. Divitem enim à paupere, per regulas charitatis nullas exigere debere, sed ei gratis muturae ;! id quod Athenienses in ἐρανῳ observarunt non abnuente *l. 17. § 3. in verbis :* quid ei imputari potest, qui solvere etsi vellet non potuit. *de usuris. l. a. 11 C. si certum pet.* ad casum accepti mutui ab æqualis sortis homine referenda. 2. Conditio judicanda à justa & legibus approbata Usurarum quantitate, ne excedatur id, quod reverá nostra interesse potest. 3. Conditio à modo fænerandi advocanda. *de qua Habn. d. l.*

63. Ita facilius ad contraria respondebimus. Nam textum Salvatoris *Luca 6. vers. 35.* Ipse *Soto de Just. & Jure l. 6 q. 1. art. 1.* ita explicat ibi non prohiberi usuram, sed dari consilium mutuandi sine spe humanæ compensationis, sed eam à solo Deo sperandam. Cui consentit Lucas Osiander in sua paraphrasi. Joh. Diodati ad verba μηδὲν ἀπελπίζοντες addit: con intentione de perdere tutto cio que voi prestote se la necessitá de'l prossimo lo richiede, e se voi non lo potete riscuotere, genza violare la carità quibus accedit D. Michaël Waltherus nunc beatus in Harm. Biblica d. l. qui germanus, noster est ἑταῖρος.

64. Aristotelis vero locum quod att net, non improbamus ea quæ Hahnius cit. loc. adfert; quibus civilem & industrialem fructum in rebus etiam naturâ sterilibus, atq; adeò in nummo ipso generatione æquivocâ vel morali agnoscit *arg. l. 88. Ad L. Falcid.* addimus tamen: Remp. feliciorem fore, cujus cives mercaturæ reali dent operam; quam illam, cujus cives in artes fæneratorias & Cambia incumbant. Verba Joh. Boteri sunt: *Usure sono esterminio di Fisco, è la ruina dell'entrate publiche: perche le gabelle & i datii alhora fruttano assai, quando corre la mercantia reale,*

le, chentrando è suscendo da gli stati tuoi, e per esse caminando, paga tributo à porti del mare, à passi de fiumi, alle porte delle città. Quæ omnia deficiunt ubi derelictâ mercaturâ per unicam parvamq; schedulam fructus monetæ colligitur. Et more otiosorum fucorũ labores aliorum fæneratores depascunt. Ibi enim forum rerum venlaium fit desertum, artes omittuntur, mercatura negligitur, agricolæ nobilesq; hereditatibus venditis nummos in fænus locant, unde civitates perdunt frequentiam, ærarium depauperatur, è popoli ridotti ad estrema miseria è desperatione desiderano mutamento di Stato. Dixit igitur Aristoles: τόκον νομίσματος μάλιστα παρὰ φύσιν· Pro eo quod est contra omnium gentium receptum morem & finem instiiutæ Reip videatur Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 12. n. 26.* Nã apud Resp. omnes receptum est, ut publica utilitas privatæ præferatur, nec facile optent Politici sapientes cives in immensum divites positis in fænore nummis, sed moderatè locuplutes. Et cum hujusmodi rerum accurata Cognitio non sit fori Theologici, non pertinebit harum rerũ dijudicatio ad Pontificem quâ talem, sed ad eum qui summæ rerum præest, ut facilè appareat ex eo Aristotelis loco Pontificios quantum ad quæstionem peccati attinet nihil inferre posse.

65. Vel 2. Aristotelis verba ita explicari possunt quod respexerit ad abusum suorum temporum, quo Id. Atticis Centesima usura erat usitata, quam nautica superabat etiam, exigebanturq; omnes usuræ ad singulos menses Lunares. Unde videmus Arist. *l. c. 1 Polit. 5.* Solonis citare versum πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. *Et c. 6.* καὶ ἄπειρος δὴ οὗτος ὁ πλοῦτος ὁ ἀπὸ ταύτης τῆς χρηματιστικῆς. Πάντες γὰρ εἰς ἄπειρον αὔξουσιν οἱ χρηματιζόμενοι τὸ νόμισμα. Quod & c. 7. continuat. Ex quibus manifestum est, Aristotelem fænus præter materiam habuisse, non per se, sed quia non subsistat in suppletione indigentiæ humanę, sed in multiplicatione nummi in infinitum obeat, quem processum natura abhorret. Qua ratione non usuram Lıbus moderatam, sed vitia horum taxat, qui naturæ terminos excedant, & usuris abutantur. Notum autem est illud Varronis: Quamquam rerum præclarissimarum maximus semper fuerit abusus, tamen propter avium copiam non intermittendum esse sementem.

66. Quod vero Dd. juris Pontificii clamitant leges civiles cujusq; Reip. à Jure Canonico hac parte correctas esse: id primò admittendum

non

non est. Cum lex condita ab eo qui potestatem ejus condendæ habet, quæq; à populo recepta est, à nemine qui in ea Rep. vivit impugnari, nec de ipsâ, sed secundum ipsam judicari debeat. Quia leges obligant in conscientia; & manifestum sit Ecclesiam inesse in Rep. non remp. in Ecclesia.

67. Ita Novella vero Justiniani 131. c. 1. quæ quatuor priorum Conciliorum definitionibus & regulis Ecclesiasticis legum vim tribuit; inter quas in Synodo Nicænâ c. 17. quod refertur in *C. 1 dist. 47. &* repetitur iisdem verbis *in C. 14. q. 4. c. 8.* Clerici sub pæna dejectionis & irregularitatis ab hoc vitæ genere: quo jam tum avaritia gliscens ipsos impulerat) revocantur.

Resp.. Id non utiq; ad totam Remp. & omnes ejus cives trahendum, sed de solis clericis accipiendum est. Quin imò ad Centesimas usuras gravissimas illas, & immodica exinde quæsita lucra, palàm pertinet, quæ octavo anno sortem æquabunt. Et ne Clerici in eam venirent sententiam quasi solum pecuniæ numeratæ usura ipsis esset interdicta, adjunxit Synodus etiam Hemiolam & sescuplam, quæ erat specierum, frumenti, vini, olei &c. & æquabat sortem duobus annis; accedebat enim ad summam capitis quotannis dimidium summæ; videatur Gellius *l. 18. c. 14. noct. Attic.* & Eruditissimus Jacob. Gothofr. *ad l 1. C. Theod. de Usuris.* Ad reliquos vero cives lex Constantini valuit. Nam cum illa lex quæ usuras Centesimas in pecuniâ, & *ἡμιολίας* in frugibus toleraret quæ extat *in l. 1. C. Theod. de Usur.* Unico tantum mense ante Concilium lata fuisset, Patres consentiente Principe clericos exceperunt atq; illis omni *αἰσχροκερδίᾳ* & *πραγματείᾳ* interdixerunt. *Gothof. ibid. in Comm.*

68. Interea vero loci omittendum non est, in medio seculi duodecimi Rudolphum inclytum Cæsarem non inelegans exemplum *ἐράνου* suppeditasse; refert Albertus Argentinensis in fragmento Chronici: fuisse sc. Argentorati quendam Mercatorem, sagacem in negotiis, sed quem fortuna destitueret. Eum Rudolphum ad se vocatū interrogasse, num se socium mercaturæ admittere, & consilium suum sequi velit? quo annuente, utrumq; sociorum Centum Marcas deputasse; Regem vero eam contractui legem dixisse, ut Argentinæ emptæ haleces Coloniā traducantur, & Coloniæ exempta vina, Argentinam reportentur. Cui Consilio, quamvis rerū naturæ contrario, mercatore morem gerente, evenisse. Ut post Mercatoris in Coloniam appulsum, nunciis jam certis undiquaq; confirmaretur periculo maris jam facto manifestum esse, haleces eo anno capi non posse. Inde contigisse, ut haleces quæ per copiam Argentinæ vilissimo emtæ fuerant, maximo coloniæ pretio venderentur; & vina, quæ per præteritorum annorū fertilitatem Vili essent, interveniente interim repentina tempestate, & in Alsatia Vineis perustis,

 tri-

triplo sint Argentinæ distracta, eaq; ratione maximum lucrum mercatori obvenerit. Qua prudentiâ humanissimus Princepe & hujus mercatoris fortunæ subvenit, & posteris imitandi τοῦ ἐράνου rationē non postremā reliquit.

69. Inter *ἐρανικὰ συστήματα* hodiernis moribus in Civitatibus maritimis Germaniæ superesse videtur illa maxime species Collegiorum quæ ob incendia orta instituta, ut quilibet Corporatorum quotannis conferat artam & modicam sum̄am eo fine ut si casu fortuito domus ex collegiatis perierit, ad reparationem illius, certa summa, quæ sæpe 500. florenos æquat, damnum passo exsolvatur. Qualia Collegia Hamburgi adhuc vigent.

70. In eodem Inclyto Emporio ea pars l.1.§.2. De Collegiis, quâ, ne quis in pluribus collegiis sit, prohibetur, non observatur, verum concessum licitúq; est in duobus tribusve collegiis nomen suum profiteri; eaq; ratione Viros fide dignos referre audivi, ejusmodi plurium collegiorum participationis in venditione & domorum rationem haberi, & quamque tanto pluris æstimari censeriq; quanto majorem Eranum in casu incendii ipsi sperare liceat.

71. Assecurationes etiam mercatorum ex hoc fonte charitatis in concives profectas esse & ad ἔρανον referendas arbitramur. Nam sive assecurationem dicas emtionem periculi, quam assecuratus emat, & assecurans vendat *arg. l 5. De naut. fænore.* Sive contractum innominatum facio ut des quod *Bald. Salycet. Santerna voluerunt p 1. n. 7 Sant.* manifesta tamen est ejus utilitas in Rep. & quæ proximè ad Erani Attici finem accedit. Quemadmodum enim Eranus Civis fortunæ adversæ subveniebat ejus in ordine & classe servandi causâ; Ita assecuratio quasi privatus clypeus quidam est, quo sævientis fortunæ impetus eludatur, & inopinatis substantiæ civium subversionibus obviam eatur, tanto laudabiliori instituto, quanto prudentius est intactas servare civium opes, quam post vulneratam patrimoniorum causam remedium quærere arg. *l. ult. C. in quibus caus. in integ. restit. necess. non est.*

Sed pagellæ hæ non ferunt puto uberiorem tractationem. Reservabimus igitur quæ restant dissertationibusq́, aliis quibus forte dabitur occasio agendi de Contractibus hodiernis Eranum imitantibus vel verò vel apparenter, DEO bene fortunante concludamus interim verbis Demosthenis supra citatis in Midana. Ἐγὼ νομίζω, πάντας ἀνθρώπους τοὺς ἐράνους φέρειν παρὰ τὸν βίον αὐτοῖς· οὐχὶ τοὺς δὲ μόνους, οὓς συλλέγουσί τινες καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλους. Οἷον. Ἐστί τις μέτριος, καὶ φιλάνθρωπος ἡμῶν, καὶ ἐλεῶν πολλούς. Τούτῳ αὐτὸ δίκαιον ὑπάρχειν, ἄν ποτ' εἰς χρείαν καὶ ἀγῶνα ἀφίκηται. Ἄλλος οὗτος τις ἀναιδής, καὶ πολλοὺς ὑβρίζων, καὶ τοὺς μὲν καθάρματα, τοὺς δὲ πτωχούς, τοὺς δὲ οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι. Τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φοράς, ὥσπερ αὐτὸς εἰσενήνοχε τοῖς ἄλλοις.

SOLI DEO GLORIA.